

Bibliothèque numérique

medic@

**Moreau, Jacques-Louis - candidat /
Ferrand, Jean-Baptiste-Guillaume -
président. - De variis haemorrhagiae
sistendae methodis**

1766.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°15



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0015](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0015)

DE VARIIS HÆMORRAGIÆ SISTENDÆ METHODIS.

T H E S E S ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ,

Quas, DEO DUCE, & Præside M. JOANNE-BAPTISTA-
GUILLELMO FERRAND, Facultatis Artium &
Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurgiæ Academiæ Socio,
Scholarum Chirurgiæ Practicarum Professore, nec non
Regiæ Scientiarum, Litterarum & Artium Academiæ
Rothomagensis correspondente, tueri conabitur JACOBUS-
LUDOVICUS MOREAU Parisinus, præclaræ Artium Facul-
tatis Magister in Universitate Parisiensi, nec non ~~Primarii~~
Magni Nosocomii Parisiensis ~~Chirurgi adjutor~~ *chirurgus*
internus huiusmodi.

P A R I S I I S, et Magni Moreau filius.
IN REGIIS CHIRURGICÆ SCHOLIS,

Die Veneris, vigesimâ-nonâ Augusti, anno R. S. H. 1766, à sesqui-
secundâ pomeridianâ ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. A. L. L E P R I E U R, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXVI.

*ce Moreau fils a cultivé
en 1764. une petite maison
en linge, avec qui il a passé
en Hollande, il a laissé pour
plus de 40000^l de dettes;
son père des lettres de change
que cette fille avoit volé
à sa mère
depuis est passé en Suisse
ou il est mort en 1781*
P



DE VARIIS HAEMORAGIAE

SISTENDAE METHODIS

TOME III

LIBER I

DE HAEMORAGIA PULMONUM

DE HAEMORAGIA CEREBRALI

DE HAEMORAGIA VENTRICULI

DE HAEMORAGIA MATRIS

DE HAEMORAGIA UTERI

DE HAEMORAGIA VAGINAE

DE HAEMORAGIA ANI

DE HAEMORAGIA ORIS

DE HAEMORAGIA NASI

DE HAEMORAGIA OCULI

DE HAEMORAGIA AURIS

DE HAEMORAGIA URINAE

DE HAEMORAGIA SANGUINIS

DE HAEMORAGIA URINAE

DE HAEMORAGIA SANGUINIS

DE HAEMORAGIA URINAE

DE HAEMORAGIA SANGUINIS

DE HAEMORAGIA URINAE

DE HAEMORAGIA SANGUINIS

DE HAEMORAGIA URINAE

DE HAEMORAGIA SANGUINIS

DE HAEMORAGIA URINAE

DE HAEMORAGIA SANGUINIS

DE HAEMORAGIA URINAE

DE HAEMORAGIA SANGUINIS

DE HAEMORAGIA URINAE

DE HAEMORAGIA SANGUINIS

DE HAEMORAGIA URINAE

DE HAEMORAGIA SANGUINIS



D. O. M.

DE VARIIS HEMORRAGIÆ
SISTENDÆ METHODIS.

THESES

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

I.



B amico solidorum ac fluidorum duello fanitas & vita. Tamdiù vivit & valet homo, quamdiù, machinæ quâ informatur, vasa sanguis liberè transfluens, universis partibus, alimentum, calorem & robur, concinno ac irrequieto motu suppeditat. Ubi primùm motio cordis cessat, fluere quoque desinit purpureus vitæ fons, & jam non vivit homo. Hinc conjicere licet, quanto horrore percussa, obruta, reclamitet natura, cum erumpentis torrentem sanguinis, animamque, frigido

A

è corpore discedentem , pavidè contemplamur. Ut beneficis fugiens vita retineatur vinculis , potenti què supprimatur auxilio , effrænus sanguinis effluxus , suadet humanitas sancta , sacrâ lege , humanitatis filia , Chirurgia imperat. Quàm nobile & arduum Chirurgi munus ! de Hæmorrhagiâ , variisque compescendæ hæmorrhagiæ methodis , dicere fert animus , postquam de sanguine , vasisque sanguiferis , nonnulla quædam in antecessum , paucis enucleaverimus.

I I

SANGUIS , vitalis ille succus , humor est coccineo fulgens colore , lac consistentiâ æmulans , per totum corpus , ad vitæ conservationem , perenni motu fluens ac refluens.

LICET homogeneous videatur esse sanguis , è diversis generis moleculis , corporatur. Destillatus dat phlegma purum , alkali volatile , oleum animale , primò tenue , postea spissum , tandem que in cucurbitâ remanet carbo , ex cujus difficillimâ incineratione , paululùm salis communis , elixationis ope , extrahitur.

PER Microscopia spectatus , conflatur globulis Sphæricis tenuiori , ac ferè pellucido sero innatantibus , ita ut globi ex sex minoribus coalescentes , rubri sint , sed in partes resoluti , flavescens feri induant ingenium ; cujus varii sunt colores (a). Rubræ partes , serosis sunt longè crassiores. Post rubicundum sanguinem , flavescens & ad ignem concrescens , humor observatur. Excolor ad ignem , ut albumen ovi , coeuns latex , lymphæ nomine donatur ; pars aquea verò , calore non concrescens , lymphâ longè copiosior , feri nomen retinet.

VARIA sanguinis in animali sano principia , tam felici inter sese connubio junguntur , tam æquâ proportionem sibi invicem commiscuntur , attemperantur , ut per totius machinæ tubos sanguivehos penetrare , transfluere , circulare , purpureus latex valeat.

DUPLEX sanguinis motus , *intestinalis* scilicet & *progressivus*.

(a) Vid. Instit. Clariiff. Boerhaavii , edit. sextâ. pag. 127.

3

PRIORE, insensiles moleculæ inter se agitantur, commoventur, circa axim rotantur, haud secus ac agitari solent, omnium liquorum particulæ.

PROGRESSIVO motu, quem *circulatorium* seu *circulationem* vocant, ab uno corporis angulo, sanguis in alium per sua vasa decurrit, à corde, per arterias, in omnem corporis ambitum, protruditur ac fluit, & ex universo corpore, iterum per venas refluens, ad cor seu centrum motus, revehitur.

TERTIUM quemdam *fermentationis* motum, nonnulli admisere Physici. Huic variam, humorum in peculiaribus vasis secretorum, productionem adscripsere; sed gratis suppositus, tertius ille motus, nobis videtur.

I I I.

ARTERIA tubus est elasticus, pulsans, conicus, sensim angustior, tandem minutissimus, sanguinem, è corde, ad omnes corporis partes, deferens.

DUÆ sunt in toto corpore arteriæ, *Pulmonalis* & *Aorta*, ex quibus, omnes, tamquam rami, scaturiunt.

QUINQUE membranis, teste *Heistero*, conflantur. 1°. *Vasculosâ*, 2°. *Cellulosâ*, 3°. *Tendineâ*, 4°. *Musculosâ*, Fibris orbicularibus præcipuè constante; 5°. *Nerveâ*, in Arteriâ magnâ, potissimum observandâ.

VENA canalis est non pulsans, instar coni inversi, sanguinem aliosque humores, ab omni corporis ambitu, ad cor revehens.

TRES sunt venæ primariæ, *Pulmonalis*, *Cava*, *Vena portæ*.

TRIPlici gaudent tunicâ, *Membranaceâ*, *Vasculosâ* & *Musculosâ*. Venarum longè tenuiores, quàm arteriarum, tunica. In ramis quibusdam, præsertim in artubus & coronariis, *valvula semilunares* modò simplices, modò duplices observantur; impediendo sanguinis regressum in systole cordis, hujus circulo succurrunt.

HÆMORRAGIA, vocabulum è Græcis derivatum, idem sonans ac copiosus sanguinis cum impetu effluxus, pro quâcumque sanguinis vitalis rubri effusione, sumitur.

QUADRUPlici modo in universum fieri hæmorrhagiam, nemo inficias ibit; huic enim janua aperiunt, 1°. vasorum referatio, eorum imbecillitati, sanguinis copiae, pravæ diathesi tribuenda; 2°. transcolatio, seu sudor, a raritate, laxitate tunice, sanguinis tenuitate, gracilium vasorum apertione, oriunda; 3°. Tunicarum divisio, a vulnere, contusione, ruptione; 4°. tandem exulceratio, intrinsecus aut extrinsecus facta.

HÆMORRAGIÆ sunt critica, vel symptomaticæ, de eâ tantummodò quæ fit a vulnere, propter thesæos limites, dicemus: quod ut concinnius tractetur, perpendendum

1°. UNDÈ effluat sanguis, an è vasis immediatè, sive è poris carnosarum partium; 2°. an ex arteriâ, aut ex venâ; 3°. an arteria sit ampla & cordi proxima; 4°. utrùm transversim omninò dissecetur, vel non totâ dissectâ, transversim vulneretur; 5°. an effluxus sit merè passivus, ut in vulnere recente, an activus, congestionem pressoriâ ad vulnus sustentatus, ut in contusis observare licet; 6°. utrùm vulnerati, sint plethorici, hæmorrhagiis assueti; 7°. tandem an carnis fungosæ, luxuriantis, & aliorum epigenesium sectiones, hæmorrhagia sequatur.

V.

VULNERATA arteriâ, pleno tunc vivo, per subsultus, nunc minori, mox majori impetu, undatim erumpit sanguis, cujus color exeuntis, coccineus fulgens est. Duobus his signis, sanguinem ex arteriâ, non ex venâ, eructare novimus.

VENA aperta, etiam si majori diametro donata supponatur, leni stillicidio plerumquè, sanguinem magis nigricantem, minusque rutilum fundit. Diximus *plerumquè*, quia in summè plethoricis, motu convulsivo afflictis, sanguis quandoquè copiosus, cum impetu & per subsultus, confertim è tonsâ venâ exilit; quod pluriès observavit, hujusce actûs præses.

5
Si arteria capax & cordi proxima fecetur, animi deliquia, tabes, lenta gangræna, brevi subsequuntur, brevi heu! Vitam fundunt cum sanguine infelices vulnerati. Una salus tunc miseris, nullo deficientem animam recreare artificio, nullis, fugientem vitam, refocillare cardiacis.

Si arteria non nimis magna, nec cordi admodum proxima, inquit clarissimus *Boerhaavius*, omnino transversim dissece- tur, retrosiliens, atque inter vicina solida se recondens, sibi- met obturaculo est. Si verò eadem vulneretur, non totâ dif- fectâ, retroractis fibris, vulnus ampliatur, hinc hæmorrha- gia perpetua, &c.

Hæc sunt præcipua hæmorrhagiæ phænomena.

V I.

Quò ampliora pertunduntur vasa, hoc graviores sunt san- guinis effusiones, quæ sibi relicta, nisi celerrimè miseris vulneratorum rebus succurratur, vires brevi exhaustiunt, & imbecillitatem vitæ, animi deliquium, frigidam depletorum vasorum quietem, celeri passu, pallida mors sæpissimè sequitur.

Ut expeditis sistantur auxiliis hæmorrhagiæ, imperat Chi-urgia prudens, eâ tamen cum cautelâ, ut non maturè nimis, si corpus sit juvenile, robustum, sanguineque turgidum, cohi- beantur; graviora enim, sæpè sæpius exinde scaturiunt sympto- mata, dolores spastici, agrypnia, febres inflammatoriæ pe- riculosa, aliaque id genus, tumores putâ, &c. Immo recru- descens hæmorrhagiæ, periculum adest.

Morbos chronicos pessimi moris, copiosissimo sanguinis subitò revulsi effluxu, post salutare vulnus inflictum, feliciter sanatos fuisse, praxis haud improspera probat: quod atten- tione præcipuè dignum nobis videtur; natura enim, speciali quodam ac revulivo in partem læsam appulsu, apertâ quasi portâ utitur, & ab incommodo, sanguinis optatâ viâ jam dudum defraudati, quo oppressa fatiscebat, pondere, sese liberat. Hinc videre est, quanto cum periculo, hisce in casu- bus, maturè nimis, supprimeretur hæmorrhagia.

QUANDÒ juxta fibrarum longitudinem, currunt vulnera,

minùs difficulter cohibetur sanguinis effluxus, multò difficiliùs, quando transversim inflicta sunt.

LICET venarum hæmorrhagiæ, longè faciliùs sistantur, quàm arteriarum, attamen cruoris, è venis amplioribus graviter vulneratis, jugiter & copiosè effluentis evacuatio, ægrum, in imminens vitæ periculum, conjicit.

QUÆ post repentinam nimis suppressionem, recrudescit hæmorrhagia, majoris est momenti, quàm prima.

V I I.

NUNC ad Remedia.

AD hæmorrhagias compescendas, varia & multiplex est fonte deprompta artificia, sagax Chirurgorum industria excogitavit. Ferrum candens, corrosiva, adstringentia, fungus agaricus, ligatura, dissectio vasis integra, linamenta, fasciæ & splenia pyramidalia, necnon peculiaria instrumenta, totidem sunt, diversæ ad propositum scopum methodi (b), quæ omnes agunt, vel obturando, constringendo tubi aperti orificium, vel coagulando, inspissando humores, thrombum seu coagulum effluenti sanguini inducunt, sicque ulteriorem impediunt effluxum, vel denique, utrumque simul præstant. Cujuslibet vim ac potentiam, paucis enucleatè perpendamus.

1^o. Si causticis ignitis, vas sanguinem fundens tangatur, tenuior illicò, vitalis illius liquoris, pars in auras avolat, densa, nec amplius resolvenda remanet massa, quæ vasis aperti orificium obturat: ignis activitate crispatur, comburitur ipsum vas; undè utriusque hujus effectûs concursu simultaneo, erumpens supprimitur sanguis. Sed hæc methodus, pessimo semper instituitur consilio, propter gravissima, quibus stipatur, accidentia. Ustionis comites sunt individui, dolor acerbus, irritatio spastica, valida inflammatio, &c. Præterea, partes destructæ, suppuratione factâ, à vivis partibus secedent, undè escharâ deciduâ, post paucos dies recrudescet hæmorrhagia. His ducti rationum momentis, ferri candentis usum, ut crudelem ac infidum, reprobamus.

(b) Vid. Clarissimi *Wanſwieten* Commentaria in Aphorismos *Hermani Boerhaav.*

2°. IDEM esto iudicium de corrosivis, quæ cùm acerrima sint remedia, partes quibus applicantur, rodunt, consumunt ac destruunt, nervos, vasa, tendines pessimè irritant. Idem novæ hæmorrhagiæ, ac à ferri candentis usu, periculum imminet. Si prosperè, quandoquè successerit, laudatissimus vitrioli Cyprini usus, idoneæ deligationi, quæ sola plerumquè sufficit, felix tribuatur eventus.

3°. ADSTRINGENTIA in genere, substantiæ sunt acido-austere, quarum applicatione, corporis partes, propius ad se invicem accedere, plusque coherere, coguntur. Variæ sunt, ut nemini non notum, pro vario intensitatis gradu, adstringentium classes, quas enumerare, ut & brevior pagina vetat, sic & extra pensî nostri rationem positum. Nobis annotare sufficiat, validiora adhibenda fore adstringentia, ut erumpentis sanguinis sistatur impetus. Tonica hæc adstringentia qualia sint, qualique sub formâ ministrentur, vel constringendo vasa, vel sanguini coagulum inducendo, vel etiam, utrumque simul efficiendo, suam impendunt operam; sed hos effectus præstare nequeunt, quin majus solidis robur concilient, quin motum vasorum contractilem augeant, verbo dicam, quin hæmorrhagia, nedùm compescatur, è contrâ exacerbescat.

POTENTISSIMA inter adstringentia, imprimis laudatur alcohol; hujus enim applicatione, sanguis in scissilem illicò massam convertitur, simulque sat validè rigescunt ac contrahuntur solida. Sed medicamenti istius momentanea est actio, novæ quæ hæmorrhagiæ periculum imminet, si quidem vasis aperti orificium alkohole induratum, contrahetur ac recedet, sanguinis quæ concreti coagulum, vel sponte suâ, vel repetitis fluidi à tergo prementis ictibus, protrudetur. Evidens est igitur, nisi idoneâ deligatione & longâ compressione, retineatur thrombus, minùs tutum esse fugacissimum alkohol, nec fore unquam adhibendum.

ACERRIMA etiam jactantur styptica, qualia sunt acida fossilia, ut spiritus nitri, sulphuris, &c; sed de corrosivis, jam dictum fuit.

INTER adstringentia longè mitiora, annumerantur fungus vulgò dictus *lycoperdon*, sanguis draconis, granatorum cortices; &c. sed non sat validâ pollent energiâ, ut ab iis solis, hæmorrhagiæ sedatio, expectari jure valeat.

SUNT & adhuc pulveres, gypsi pulvis v. g. farina volatilis; aliaque bibula corpora; sed licet liquida avidè absorbeant, & cum liquidis absorptis concrecant, non tutò vasis aperti exitus obstruatur; si enim major arteria dissecta fuerit, effluentis impetu sanguinis averrentur hi pulveres, sicque absque convenienti compressione, optatum effectum, præstare non valebunt.

QUÆDAM adstringentia, imbecillia, ac inepta rejicimus.

QUÆDAM nimis tonica, vasorum contractilitatem nimis stimulando, hæmorrhagiam augent. His non confidimus.

ALIA tandem corrosivâ suâ virtute, vasorum parietes, vicinasque partes rodunt, consumunt ac destruunt, escharâ que deciduâ, novæ sanguinis effusioni ansam præbent. Hæc è therapèiâ Chirurgicâ fore expungenda, censemus.

NULLA absque compressione debitâ, torrentem sanguinis sistunt.

4°. FUNGUS agaricus pedis equini facie, substantia insipida, textum præbet vasis discissi orificio spongiosum, subtilissimum, aliquo elatere donatum: ritè obturato vasis orificio, serosam thrombi partem absorbet, sicque portio axim occupans, intimiùs parietibus cohæret, dùm suapte contractili motu, constringitur orificium. Hunc ce topicum, servatis servandis, convenienter applicatum, idoneâ que compressione ac deligatione retentum, prosperè multoties successisse, faustâ constat experienciâ. Prudentem ergò & compressione adjutam, fungi agarici applicationem, jure ac meritò laudamus.

5°. ARTIFICIOSA immortalis *Paræi* nostri ligatura, licet causticis ignitis, corrosivisque longè præstantior ac tutior, non est tamen numeris omnibus absoluta, sua habet incommoda, sua pericula, suis stipatur accidentibus & quidem gravioribus. Si enim ligari possit vas apertum, vel sola ligabitur arteria, vel unâ cum parte circumpositæ carnis; si sola, filo potest discindi, aut ligaturâ deciduâ, recrudescere hæmorrhagia; quod nimis infausa, pluriès probavit experientia. Si in ansâ fili, vicinæ partes comprehendantur, exindè dolor, inflammatio, febris, eorumque pedisequi; si nervi vinculo interci-

piantur, inviti & convulsivi motus succedunt, quibus quandoquē & ligatura solvitur & sanguinis effluxus redit, ut neminem Chirurgum latet. Unde hanc methodo toties adhibitā nimis non confidimus, illius tamen usum, in magnis extirpationibus arteum, non improbamus.

QUANDO non omnino dissecta est mediocris arteria, si debitā compressione, sanguinis effusio non sistatur, quia, retractis propriā elasticitate fibris, vulnus ampliatum protenditur, tunc vas integrē discindendum est, ut hujus extrema resiliendo, sub vicinis partibus delitescant, suoque contractili motu & ambientium partium pressione claudantur, sicque supprimatur hæmorrhagia. Tutò, ut evidens est, non sic omnino secaretur arteria magna & cordi proxima. Alio tunc foret artificio, hæmorrhagiæ sedatio, tentanda.

6°. COMPRESSIO doctè & sagaciter instituta, omnium est præstantissima methodus. Vel fit perpendiculariter in patulum vasis discissi orificium, vel à latere vasis applicatur, & sic parietes ejus, contigui facti, connivent.

PRIOR, sistit quidem sanguinis effluxum, sed thrombus concreti sanguinis, cum cylindricus sit, patulamque vasis aperti superficiem diametro æquet, à torrente sanguinis à tergo impulsus protrudetur, inde nova hæmorrhagia, nisi valida hæc compressio exerceatur, quousque thrombus, cum vasis lateribus firmissimè adhæserit. Præterea, illud habet incommodi, quod inflammatione ejusque consecutiis, quandoquē stipetur.

LATERALIS compressio, si fieri queat, agatque tantum modò in vasis aperti latera; omnes methodos longè superat. Conniventes enim vasis parietes, latā superficie concrescunt, thrombus pone compressos parietes hærens, cum ferè pyramidalis sit, apice angusto, patulæ superficiei correspondebit, dum basi, cavum vasis obturabit; hinc non poterit per complanatæ arteriæ latera expelli; hinc major erupturo sanguini opponitur resistentia; hinc nullus recrudescentis hæmorrhagiæ metus. Artificiosa hæc compressio, frustra tentatis aliis remediis, periculosissimas compescuit hæmorrhagias. Itaque, licet in difficillimis etiam casibus, lege artis instituta, felicissimè successerit, quæ sit secundum vasis axim compressio, lateralis

tamen, palmam, propter rationes allatas, præripere, nobis videtur.

Nisi ampliores arteriæ, aut venæ dissectæ sint, linamenta paulò compacta, in vulnus ingesta, spleniis pyramidalibus & fasciis contenta, plerumquè sufficiunt.

7°. VARIA etiam, ad tutiùs compescendas hæmorrhagias, suppeditat machinamenta, Ars saluberrima; hæc inter annumerantur fasciæ contortiles *Morellii*, *Heisteri*, *Garengeoti*; sed ingeniosissimum torcular celeberrimi *M. Petit*, his multò præstantius est. Quam, pro sistendâ cruralis arteriæ hæmorrhagiâ, post amputatum femur propè pelvim, incassum adhibitis aliis remediis, feliciter invenit ac adhibuit Chirurgus egregius, non potest machina satis laudari (c). Quæ ad arteriam cruralem comprimendam, cùm femur in parte suâ superiori amputatur, à Clarissimo *M. Louis* sagaciter fuit excogitata, inter utilissima, renovatæ Chirurgiæ, machinamenta, meritò recensetur.

8°. Hic opium, aliaque medicamenta interna parùm, aut nihil prosunt. Quietem, diætam, pro re-natâ, Chirurgus imperet. Tundatur vena, &c.

9°. PRÆTER primarium hæmorrhagiæ sistendæ respectum, refarcienda veniunt damna, per nimium sanguinis effluxum inducta, defectum corpus reficiendum; prostratæ vires refocillandæ, nervi imbecilles recreandi: itaque conducent analeptica, emulsiva, gelatinosa, moderatè aromatizata, vinum Malvaticum, Hispanicum medicè datum, &c.

10°. PARS læsa vitali succo orbata, calidioribus medicamentis, nervino-balsamicis, ne debilitates chronicæ remaneant, reficiatur ac corroboretur. Hæc sunt naturæ artisque vota.

(c) Vid. in Actis Regiæ Chirurg. Acad. *Eloge de M. Petit, par M. Louis.*

FINIS.